UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Basilea Sacra Sive Episcopatvs Et Episcoporvm Basileensivm Origo Ac Series

Sudan, Claudius

Brvntrvti, 1658

68. Jacob. Christophorus Blarer à Vvartensee.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11463

Visual Library

potuit, ferventissimè, à desertione fidei avitæ dehortatus est, per suos Princeps. Post eam deniq; concionem, à Prædicante habitam Colmariæ, die sequenti vitæ periodum absolvit Bruntruti Melchior Episcopus, ubi & tumulo mandatus est in Ecclesia S. Petri ante principem arā, anno Christi 1575. 16. Maij. Anno Christi

IACOBVS CHRISTOPHORVS BLARER à VVartensee. 1575.

Basileensis Episcopus. LXVIII.

BLarerum Episcopum nostra jam propiùs brevis aspicit Synopsis, quem si Restauratorem Basileensis Episcopatus & nutantis in Diœcesi fidei fulcimentum dicamus, nihil supra meritorum magnitudinem in medium afferetur. Quam sanè partæ

Anno Christi 1575. laudis magnitudinem vel hoc brevissimo indiculo dimetiaris. Natus is anno 1542. 11. Maij, studiorum moderatorem habuit Friburgi Brisgoię inter alios, Henricum Glareanum, Matheseos & Poëtices monumentis nobilem. Vbi adolescentem ad magna natum florens prodidit indoles, Canonicorum Basileensium simul & Constantiensium albo inscribitur, temporis & virtutis paribus fere incrementis, nisi illa longè præverteret ætatem. Annos natus 33. Delemonti, ad congregatum illic Canonicorum cœtum divinis Zeli sui & fervoris igniculis respersam habuit orationem pro Orthodoxa religione Diœcesi Basileensi aut restituenda, aut conservanda. Quâ dicendi contentione multis lacrimas, & animum, ea quæ dicebantur efficiendi excitavit. Aderant verò ex Capitularibus, VVolfgangus Theodoricus

doricus à Reitnavv Præpositus, Nicolaus Rudolphus à Brunighofen Decanus & Vicarius seu Administrator Episcopatus in Interregno, Philippus à Râmerstal Custos, D. Apollinaris Kirser Cantor, Marcus Teccinger Scholasticus, Bernardus à Ramstein, Ioannes Diepoldus à Stadion. Ab his omnium Iunior, Iacobus Christophorus Blarer eodem anno 1575. die 22. Iun. Episcopus nominatur. Sed ille delatum onus, quo planè tunc temporis præcelsus honoris absorberetur titulus, in suos humeros admittere priùs detrectavit, quàm sui Collegæ in fœdus consentirent cum Helvetiis Catholicis ineundum; erigendæ nonnihil imbecillitati subsidium perneceſſariũ. Voti compos effectus, alto pressit silentio consilium salubre, dum sperata illuceret opportunitas. *Anno Christi* 1575.

Duobus post electionem diebus laco-

Ann. Christi 1575. Iacobum Principem, festivis ut solent gratulationibus, in urbem suam & arcem inducunt Bruntrutani. Sed ecce in ipso dignitatis aditu trāsversum obicem, qui aliis pavorem incuteret, non autem forti pióque Blarero Principi. Erat libellus supplex quorumdam, & postulatio sequendi impunè & exercendi depravati nuper Evangelij normam. Respondit Episcopus, pari fortitudinis juxtim & prudentiæ laude, ut jam acquiescerent illi novitatis introducendæ studiosi. Anxium tamen meritò reddebat anceps illa subditorum fluctuatio. Haud satis in Bruntrutana Præfectura fiduciæ collocari poterat, quorum multi, ut dicitur, sibi cum lupis ululandum putarent; & verò in medium jam urbis forum penetraverat audaculus Prædicans ad hæreticum commercium circumforanei garrulitate Cives allecturus,

rus, nisi mascula virtus viri cordati arreptum manu miserum Prædicantem facessere, & alibi quàm ex mensa Lapidea, venale suum exponere venenum impacto priùs insigni colapho coegisset. In Toparchiis preterea Delspergensi, & Liberi-montis incolæ, quòd jus Civitatis obtinuissent Basileæ, vitrum erant, quod, nisi molliter tractaretur, frangeretur, citiùs quàm inflecteretur. Ad hæc, in tota passim ditione, eiuratâ maiorum religione, vel publicè, vel conventiculis privatis audiebantur Prædicantes, etiam ab illis, qui etsi religionis odissent vertumnos, caperentur tamen malesuada loquacitate verborum saccharinis lenociniis. Anno Christi 1525

Accedebat tantæ sollicitudini, æris alieni vis innumera, quo Diœcesis opprimebatur: ita quidem ut deductis expensis, & annuo pecuniæ mutuò

Anno Christi 1575. mutuò acceptæ censu, quandoque nihil, aut exiguum quid restaret compensandis aulæ necessariis officiis. Sæpe etiam expensi rationes accepti summam excederent.

Ardebat interim bellis intestinis, cædibus & incendiis Belgium & Francia, ob religionis Protheos, quos Martius furor nunquam non sequitur. Parisiis inter alios cæsus in nuptiis Henrici Navarræi & sororis Caroli VIII. Regis, Condæus Princeps. Condæi filius, mortem Patris, ut armis ulciscatur, exercitum cogit per Ioannem Casimirum Palatinum, accitis unde unde poterat, auxiliaribus copiis, quas Helvetia opportunè suppeditare poterat. Fuerunt Bernæ Gabriel à Diesbach & Tilmannus in expeditionis consortium lecti Duces, qui tredecim cohortes in Bielensi & Neoburgensi agro conscriptas per Iurassum montem in pla-

planiorem Episcopatus Basileensis regionem deducerent. Subsistendum erat aliquamdiu ad radicem montis, in pago Cornavia aliisque vicinis, ut reliqui confluxum exercitus ibi lustrandi opperirentur, maximâ utique jacturâ & regionis & religionis. Dum lentiùs affertur Ducum imperium, adest Senatus Bernensis mandatum, quo in patriam quàm citissimè revocantur. Inde verò Petrus Beuterich Consiliarius Palatini, urget, & tandem evincit, ut dissimulato Bernensium illo mandato, iter maturent, & per Alsatiam ad reliquum contendant exercitum. Qui periculosorum hospitum discessus panico metu pagos & urbes Episcopatus levavit. Aiunt, in proximo urbi pago Hala dicto, inter Duces fuisse, quemdam ceteris procaciorem, qui Iacobo Principi in diem sequentem extrema minitatus, si veniret

Anno Christi 1575.

Anno Christi 1575. niret in potestatem Bruntruti, à gregario milite per incuriam glande plumbeâ eodem die traiiceretur, in exemplum ultionis divinæ, quę mali animi & linguæ scelus patrandum anteverteret.

Anno 1576. 20. & 21. Octobris terræmotus Basileam concussit, nullo tamen damno. Sequenti verò, Cometa aspectu terribilis 11. Novembris cœpit & 18. Ianuarij videri desiit. Ac brevi pòst Bernæ & Basileæ gravissima laboratum est peste, plurimis celebri funeribus: Basileæ rursus terræmotu.

Annus 1580. Iacobo Christophoro Principi in fastis notandus: hoc siquidem cum Helvetiæ Orthodoxæ Cantonibus pepigit fœdus eâ prudentia & secreto consiliorum silentio, ut factum citiùs fuerit, & Bruntruti 21. Ianuarij in templo Parochiali, jurejurando utrimque firmatum,

quàm

quàm faciendum crederetur. Pari felicitate impetravit à pleno Helvetiæ Cantonum consessu Badæ, ut Basileenses omni renunciarent juri, quod sibi in pagos terrásque Diœcesis usurpárant, municipij prætextu, quod iniussu, imò inviti Antecessoris Episcopi Melchioris subditi inierant, proinde contra jus omne & æquitatem, & mox rescindendum. Tertius fortunæ casus, seu veriùs, Dei erigentis virtutem Principis, & animum, qui tot arduis rebus penè succumberet, dispositio singularis, æs alienum propè omne, expedivit. Exustum erat anno 1559. archivium, seu Cancellaria Bruntruti, consumptis flammâ, vel certè ambustis tabulis chartisve plerisque. Accidit, ut post annos sat multos, incendii hasce reliquias & chartulas, quæ nonnisi tomenti loco esse possent, lustraret Princeps curiosiùs. Has

Anno Christi 1575.

Anno Christi 1575. inter quisquilias, ustulatam chartam arripit: quâ perlectâ, urbis Basileensis vectigal jure adhuc deberi Episcopo, ipsumque Autographum Colmariæ in crypta quadam asservari, deprehendit feliciter. Colmariam mittitur Cancellarius, qui copiam Autographi describendi petat, quâ instructus jus suum apud Helvetiæ Cantones prosequatur. Optatis respondit eventus & Helvetiorum sententia adiudicans Episcopo libertatem vestigalia exigendi, vel certè pecuniæ summâ, pro eo jure Basileensibus remittendo paciscendi. Hac posteriori ratione postquam est conventum, magna pars æris alieni expuncta, nec parva insuper pecuniæ copia in ærarium Principis illata. Eâ denique sequentium annorum, quâ usus est, parcimoniâ, & providâ rei domesticæ industria, debitis liberavit ditiones suas, censibus auxit, domi-

dominiis ampliavit. A Murbacensi quidem Cœnobio censum emit quadraginta millibus florenorum. Emptione rursùs factâ annexuit ditioni suæ, prædia complura, Visel, Brunighofen, Dampierre, Varkam, & Monasteriũ trium regum in Sultz. Et tamen copiosissimi suffecerunt nummi comparandæ, Argenteæ stanneæ, & reliquæ ad instruendam aulam Principis necessariæ supellectili, præter vasarium & gazam sacelli Pontificij Argentario opere instructissimam, sacras vestes, ornatum sericum omnis generis, cuius pretium cum artificosa elegantia certet. *Annõ Christi 1595*

Iam verò quis sumptus numeret in ædificia impensos, quæ ipse vel à fundamentis erexit, vel adstruxit veteribus, vel certè propemodum collapsa restauravit. Societatis IESV Patribus Templum, & Collegium

Anno Christi 1575. religiosis usibus percommodum, erectum à se annuis dotavit reditibus, cui adiecit Gymnasium & ponè Convictorium, erudiendæ Iuventutis studiosæ bono. Vt ceteras taceam structuras ipsius auspiciis absolutas per totum Episcopatum, cuius proventus annuos plus dimidia parte auxit. Nec tamen victus aulici moderatione dignitatem suam evilescere patiebatur, irrogatis sibi tenacitatis sordibus; quin profusam sæpe ostentaret munificentiam, mira insuper facilitate morum & vultus blandè ridentis suavitate, omnium animos sibi demeritus, jucundas quandoque inter confabulationes, cum Civibus, quos uno pedissequo contentus, urbem inambulando haberet obvios.

Ceterùm è tot Episcopatus curis primum semper habuit locum, ut spiritualem gregis sibi commissi Pastorem

storem se meminisset. Quam ob rem satagebat plurimùm, ut docti probique Parochi per suam Diœcesin instituerentur, amoverentur, qui perditæ vitæ audirent, aut rei, commeritis, ad exempli terrorem, plecterentur pœnis. Vt verò quam animo destinaverat, Cleri reformationem promoveret impensiùs, Synodum congregavit Delemonti, eiúsque decreta typis vulganda mandavit Friburgi Brisgoiæ anno 1581. sacris per Diœcesin ritibus, quoad fieri potuit, ad normam Romanam utcumque emendatis, & acceptatis Tridentini Concilij statutis. *Anno Christi* 1575.

Quia verò perutilem sibi fore videbat Patrum Societatis operam tot támque luculentis apud alios Principes, urbes & Respublicas comprobatam testimoniis, aliquot illius Instituti Patres communicatô superioribus illorum consiliô, Lucernâ evo- 1588.

Anno Christi 1588. cat, anno 1588. Vbi adfuerunt illi, confestim satisfacere piissimi Principis expectationi pro viribus allaborant. Horum unus (erat is P. Iodocus Itæus, Principi brevi pòst à sacris confessionibus) nixus authoritate Prænobilis Christophori Schenck Zvvingensis tum Præfecti, brevi tempore, sua dicendi facultate & dedocendi errores industriâ tantum effecit, ut Lutherani verbi Præco, qui Lauffenses vicinósque corrumpebat, loco moveretur.

Anno 1590. 6. Martij, Bruntrutum acciti in partem laboris copiosi, P. Georgius VVitvveiler celebris concionator & P. Martinus Conradus; quorum deinde Bruntruto excursionibus, concionibus & Catecheticis Lectionibus in agro Lauffensi repetitis, Dervvilenses & Ettingenses, Ecclesiæ fidem, postquam annos sexaginta exulâsset inde, revocârunt

vocârunt, cùm 24. Maij ipsi ultro & sponte Prædicantem amandari, ab Illustrissimo & Reverendissimo petiissent. Eo igitur operæ pretio Patrum Societatis mirificè recreatus Iacobus Christophorus, stabilem illis Bruntruti sedem, una cum cœtu Canonicorum Friburgi Brisgoiæ decimo quinto Octobris decernit, in spem Collegij construendi proximam. Aptatis interim Patrum habitationi ædibus (quas sponte concesserant Sacerdotes ad Divi Michaëlis) immigrant, 7. Martij 1591. ex arce Principis, ubi hactenus degebant. Apertus subinde ludus litterarius undecimo Octobris, cœptæque quatuor inferiores scholæ, donec anno sequenti, aucto discipulorum & Magistrorum numero accederet Rhetorica. *Anno Christi* 1588.

Anno 1597. templi simul & Collegij imposito primo lapide, auspi-

Ann. Christi 1597. catissimo operi bene precatus est Princeps fundator, oratione nervosa ad frequentem populum, ea disserens, quæ ad loci & diei celebritatem faciebant. Tergiversati primò cives diu multúmque, Principis consilio se opponebant, ut qui eam domûs amplitudinem in urbe non magna ferre nollent. At ubi commotus Princeps edixit seriò, se forum & nundinas translaturum Halam, pagum amplum & amœnum, cingendum etiam mœnibus, ibiq; Patribus Collegium & Gymnasium a se excitandum, ad arbitrium ipsius se permiserunt, nec ipsos facti pœnituit. Domum itaque incoluerunt Patres anno primùm 1604. 28. Augusti. Templum consuetis Ecclesiæ cerimoniis inauguravit Reverendissimus Suffraganeus D. Franciscus Baër, rebus divinis operante Reverendissimo & Illustrissimo fundatore,

re, ut fieri potuit, apparatu maximo, quem præ cæteris cohonestârunt suâ præsentiâ undecim Canonici Basileensis Ecclesiæ Cathedralis, Generosus Dominus Rudolphus à Bolvveyl Alsatiæ Gubernator, & septem Catholicorum Cantonum Legati. Perfectis ita feliciter, quæ destinaverat, quasi nihil restaret in terris optimo Principi, quod animum afficeret magis, glorioſam sibi peperit immortalitatem, ad quam evolavit, virtutum & dierum plenus, pius, magnanimus, felix Princeps, 18. Aprilis, post horam octavam matutinam in arce Bruntrutana, anno Christi 1608. ætatis 66. Episcopatus 33. Post absolutas defuncto, lugubri apparatu exequias, illatus est cryptæ, quam sub ara Principe haud multorum capacem sibi construxerat, in illas olim cryptæ jocatus angustias; quietè jacere mortuos non exspatiari

Anno Christi 1597.

Anno Christi 1597. multùm, qui uno satis haberent loculo. Epitaphium ad partem aræ dextram appositum sic habet.

Heic est situs
R.mus & Ill.mus Jacobus Christophorus
Blarer à VVartensee, Episcopus
Basileensis,
Qui cùm difficillimis temporibus
Episcopatum hæresi, & alieno ære
Penè oppressum adijsset,
Eúmq; sapientiâ & singulari constãtiâ
Locis pluribus, utróq; malo liberâsset,
Ac fortunas eius
Ab avida inhiantiũ hæreticorũ manu
Admirabili prudentiâ vendicâsset,
Frugalissimâ vitæ ratione
opulentâsset,
Templum, Collegium, & Gymnasium
Socie-

Societ. JESU feliciter ædificâsset, Anno Christi
Liberalitérq; dotâsset,
Vitam hanc cum meliore commutavit
XIV. Calend. Maij, anno Christi
M.DC.VIII. ætatis suæ LXVI.
Episcopatus XXXIII.

GVILIELMVS Rinck, à Baldenstein. 1608.

Basileensis Episcopus.
LXIX.

IN oppido S. Vrsicini, anno 1608. plura Canonicorum suffragia (quibus colligendis, deputati Reverendissimus Pro-Episcopus Baer, Abbates Lucellensis & Bellelagiensis) Episcopatum regendum Guilielmo Rinck à Baldenstein commiserunt. Dies post electionem ritè peractam sequentes sacramento à subditis accipiendo sunt occupati. Atque ubi per-